

tus origine, & de occidendi causis interrogatus, horrore atque abominatione rei tantum se fecisse respondit, de cæteris nihil omnino, & rusticitas hominis, & publicatio facinoris, quod occultari potuerat, suspicionem omnem ademerunt.

ALIUD.

VNum eiusdem temporis adiiciam. In agro Florentino, puerum bicorpori effigie, geminis capitibus, quaternis manibus, circa genitales partes connexum, sic, quod non amplius, quàm in geminos pedes desineret, viderunt illic omnes. Ad nos autem, qui tunc in Gallis degebamus, per amicos ciues imago picta transmissa est, ingensque solius ad spectaculum picturæ concursus hominum fuit, septimum ætatis annum agens, genitorem meum vidi tabellam eiusmodi in manibus habentem. Sciscitatus quid esset: rem omnem eo monstrante didici, & aure conuulsa, meminisse iussus, enarraturus filiis, vt ipse dicebat meis: ego autem & nepotibus renarro, Et hic quidem partus diebus (vt perhibent) paucis vixit: Eiusdem tamen monstri effigies Florentiæ in Hospitali ad scalas exsculpta, Epigrāma sequens inscriptum habet:

Hæc